

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homiliae Catholicae De Sacris Arcanis Deiparæ Mariæ Et  
Iosephi**

Cum quadruplici Indice

**Cartagena, Juan de  
Coloniae Agrippinae, 1613**

Homilia Quinta Historica. Sacerrimi matrimonij inter D. Mariam, & Iosephum pulchræ figuræ, variaq[ue] encomia, quæ illud longo sanctitatis interuallo reliqua omnia matrimonia superasse apertißime ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51414](#)

uius propinat, ut miseros ineblet conuiuas, in finem amarissimas reseruans fœces. Epulabatur quotidie splendide Dives ille, cuius Lucas meminit; initio conuiuij propinavit illi mundus suauissimum vinum, in fine vero acerbissima tormenta, sicutque amarissimam reseruauit: unde illud Abrahadi responsum: Recordare, quia receperisti bona in vita tua, nunc autem cruciaris: Receperisti bona in vita tua, hoc est, omnis homo primum bonum vinum ponit: nunc autem cruciaris, hoc est cum ineblet facient, tunc id, quod dexterius est. Vide, quām bonum vinum primum Assuerus Rex posuerit Aman: Rex exaltauit Aman, &c. & posuit solium eius super omnes principes, quos habebat; cunctique serui Regis, qui inforribus palati versabantur, stetebant genua & adorabant Aman, &c. ecce vinum suauissimum in principio epuli; finem expecta: Suspensus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo: quām fœces amariores patibulo potuerint miserrimus Aman post vinum suauissimum bibere? Lætitissima sunt flumina amarissimis vndeque ripis, pratisque circundata, sed, vt Ecclesiastes ait, cap. i. Omnia intrant in mare: quemadmodum flumina lætiſimorum finis, amarissimum mare est; ita lætiſimi vini, quod mundus propinat, finis, amarissimæ sunt fœces: Ne inuearis vīnū, ait sapientissimus Salomon, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit, vt coluber, & sic ure regulus, id est basiliscus) vena diffundet. hoc est: Caue tibi à mundi vino, inani scilicet eius gloria, quæ splendet, ac flauescit, sed vale vitro continetur. Vita, nempe, quæ virtu instar, facile strangitur; ne manum porrigitas huic vino, blande enim ingreditur, & luave est gutturi, at finem attende: in nouissimo mordebit, vt coluber, & sic basiliscus venenum totu animo, corporeque diffundet: ita initio dulcis illa est, ac luavis, in fine vero coluber, & basiliscus. Tu ne respice initij dulcedinem; aspice, si sapiis, finis amaritudinem, & inanis gloria, ac fallacis huius

sæculi pompa splendorem despice, ne amaro, instar absynthij, eius fine te in hoc, & in futuro sæculo excruciani contingat, claraque Dei visione priuari, cui si honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## HOMILIA V.

Sacerrimi matrimonij inter D. Mariam, & Iosephum pulchra figure, variaq; encomia, que illid longo sanctitatis interualllo reliqua omnia matrimonia superasse, apertissime indicant, in illa verba: Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.



**A**CROBANCI Martionij inter B. Virginem, & Iosephum tropos, ac figuræ diligenter inuestigans, quatuor præcipuas diuina eloquia nobis indicate reperio: quārū primo loco refero Arcam illam fœderis, super quam duo Cherubim sedebant, & quibus Propitiatorij sustentabatur, & vnde responda bantur, propitijsq; dicebatur esse Deus; alterius autem illorum Cherubin effigies erat masculi, alterius vero foeminae, vt Arias Montanus in suo apparatu obseruauit, Cherubini isti inter se coniunctissimi, Mariam, & Iosephum matrimonij vinculo coniunctos significant, per quos Deus, qui aderat in Arca sacre humanitatis Christi Domini (sic enim illam vocat David: Exurge Domine in requiem tuā, Psalm. 110. tu, & Arca sanctificationis tuae) misericordem, ac propitium se exhibet votis, ac precibus nostris: & sicut à Cherubinis illis Arca tenebatur, sic à factis his coniugibus Iesus in infantia, eorum vlnis sustinebatur, & sustentabatur: & sicut illi à Propitiatorio nunquam se auerentes, mutuò se respiciebant, sic Maria, & Ioseph non solum per peccatum aliquod actuale

actualē à Deo vñquam se auertentes, sed per multos annos Christum, qui est propitiatio nostra, concomitantes, mutuo amore se respexerunt, vt non immixto dicere potuisset beata Virgo, & Ioseph pariter: *Ego dilecto meo, & ad me conseruo eius.*

A dumbrat etiam eiusdem facri matrimoniū miram constitutam connubium illud inter Sunamitem, & Dauidem; nam sicut Dauid nō ad libidinem, nec ad proli generationem accepit in vxorem, Sunamitem; vnde sacer textus ait: *Rex nō cognovit eam*: sic Ioseph, non ex concupiscentia, nec sobolis procreanda amore, & desiderio duxit, *cum beata Virgine nupsit*, vnde alter Euangelista eadē verba, quæ de Dayide dicta sunt, refert de Ioseph dicens: *Ioseph autem non cognovit eam*: & sicut illud matrimonium fuit inter Dauidem, & Sunamitem, vt illa Regem præ nimia frigiditate algentem iuuenili suo calore souceret, atque calefaret, sic Ioseph datus est in sponsam Mariæ (vt Hieronymus adnotauit) vt eius bonum nomen, & famam souceret, non vt filios ex ea procrearet. Ac tandem olim hanc Deus condidit legem: quod si vir quispiam sine liberis obiisset, defuncti frater acciperet vxorem eius, vt suscitat semen fratri sui, vnde (vt D. Damascenus adnotauit) partus, qui nascebatur, licet secundum naturam filius esset naturalis secundi, erat tamen filius legalis primi, qui iam obierat, lege ipsa sic illud disponente, quemadmodum contigit S. Ioseph, qui naturalis erat filius Jacob, legalis vero Heli: cum ergo ipse sponsus esset, & vir Mariae Virginis, & propter votum perpetua Virginitatis ab eo emisum (vt D. Thomas docuit) mortuus esset mundo, absque liberis, ad cum modū, quo Religiosi per votum solempne monuntur mundo, morte quadam ciuili, & legali, iuxta illud D. Pauli: *Moritur effici Christo ab elementis huius mundi*: de qua morte intelligit D. Cyrilus verba illa: *Pretiosa in conspectu Domini mors san-*

*ctorum eius: valdeque literæ cōsentaneam*  
eam expositionem iudico: nam verba  
immediate p̄cedentia erant illa: *Vota*  
*mea Domino reddam coram omni populo eius:* Psalm. 125.

cum ergo continuo subiungit: *Pretiosa in*  
*conspectu Domini mors sanctorum eius: non*  
obscure indicat, se loqui de morte spirituali, & ciuili, quæ votum inducit, quæ in conspectu Dei pretiosissima est. Erat

ergo noster Ioseph per vorū perpetuę Virginitatis mortuus mundo, pretiosaq; hac sanctorum morte obierat absque liberis, ob quod sanè meruit, vt Deus vicem fratris supplens, acciperet in sponsam Mariam quasi defuncti fratris vxorem, generaretque ex ea filii, cuius solus ipse Deus naturalis, Ioseph vero legalis pater esset, vt his verbis ad hoc mysterium alludens,

eleganter dixit D. Augustinus: *Gaudet Ioseph,* D. August.

*quia per meritum Virginitatis, ita separatus es ab uxoris concubitu, vt pater dicaris* Saluatoris, atque ad hanc historiam re-

spiciens teremias in persona Dei dixit:

*Ecce dies veniunt, & suscitabo Dauid ger-* Matth. 1.  
*men iustum: sicut enim frater, qui vxo-* Terem. 23.  
*rem defuncti ducebat, semen fratris sui*

*suscitabat, ita Deus fratris vicem sup-* plens, mortuo sposo Virginis per vo-

*tum virginitatis, absque prole, Deus susci-* tata ex eius sponsa sobolem, Dauid, & id-

*co ait: Suscitabo Dauid, germen iustum: At-* Ibidem.  
*que hæc est prima huius sacri matrimo-* ni; excellentia, quod nō homo, sed Deus;

*non Ioseph, sed Spiritus sanctus illud cō-* summaverit, vt exprefse testantur verba

Marthæ: *Inuenta est in utero babens de* Matth. 1.  
*Spiritu sancto: neq; obscurè commōstrant*

*verba eiusdem Virginis dicentis: Quis Eccles. 24.*

*palma exaltata sum in Cades: alia enim ver-* sio legit: *Quasi palma maritata sum in Ca-* des. Arbor hæc, quæ omnibus procerior, ac inflexibilis est, constantia, & victoriae symbolum semper exstitit, hac singulari proprieate prædicta esse noscitur (vt vina- nimi consensu rerum naturalium scrip- tores attestantur) vt quædam illatum sit masculus, alia foemina; vnde hæc absque alterius præsentia nullum fructū fert, ad

quem

quem quidem producendum non opus habent se propriis radicibus, aut ramis contingere, sed sufficit sibi inuicem praesentes esse. hoc naturae portentosum miraculum adamassum nobis ob oculos ponit sacratissimum hoc connubium Mariæ & Iosephi; uterque coniux palma est, illa enim ait: *Ego quasi palma exaltata sum: Ioseph etiam cum teste Euangelista esset iustus, palma etiam erat, Spiritu sancto dicete: Iustus, ut palma florebit:* & quidem, cum Maria (vt Catholica Ecclesia canit.)

*Eccles. Catho.* *sine tactu pudoris, inuenia sit mater Salvatoris,* recte per palman adumbratur, quia, sicut illa sine praesentia alterius palmarum, absque contactu tamen eius, profert fructum suum, ita & Maria desponsata Iosepho, absque tactu eius, virtute spiritus sancti, concepit, & peperit benedictum fructum ventris sui. Canat ergo Maria, & canora voce intonet: *Quasi palma maritata sum in Cades:* Cades enim sanctitas interpretatur, secundum Hieronymum de nominibus Hebraicis, quo non obscurè indicatur nihil in hoc sacro sancto matrimonio extitisse, quod sanctimoniam non redoleret, longeque ab illo fuisse omnem terreni affectus labem; sanctum enim idem est, quod sine terra.

Secundam eius excellentiam ex verbis D. Pauli in hunc modum deprehendo: ille enim ad Corinthios scribens, ait: *Volo autem vos sine sollicitudine esse: exhortatur ibi eos ad continentiam seruandam, ut hanc ratione à sollicitudinibus, & curis huius saeculi liberiores essent, vnde statim subiungit: Qui cum viatore est, sollicitus est, que sunt mundi, quomodo placeat viatori, & diuisus est: hoc discrimen olim intererat inter sacrificium, & holocaustum, quod illud diuidebatur, partim enim pertinebat ad sacerdotem, partim ad Deum; at holocaustum non diuidebatur, sed totum combustum in honorem solius Dei cedebat.* Status coelibatus, & virginitatis holocaustum quidem est, absque diuisione sui, totus, ac integer Deo sacrificatur; status vero matrimonij, sacrificium est, diuisionem sustinens; maritus enim, partim incunbere debet filiorum educationi, partim attendere vxori, partim familiæ, returque temporalium solicitem curam gerere, ac proinde diauis est, vt ait Paulus. *Ibid.* hoc ergo mirum in modum commendat excellentiam sacri huius Iosephini coniugij, quod, dum Ioseph vxori placet, & eam diligit, dum solicitam prolixi illius curam gerit, dum familie sua incumbit, ac vietus illius curam gerit, non solum à Deo, nec minimam aliquam diuisionem sustinet, sed strictiori vinculo magis, ac magis illi coniungitur. Vnde si D. Paulus ea propter laudat mirifice continetis statim, quia nullum orationi, & confabulationi cum Deo impedimentum affert; & quod facultatem præbeat sine impenitentia Dominum obserandi: ciudem procul dubio laudis dignum est hoc Iosephi matrimonium, cum nō solum orationi obsecula non apponat, sed calcaria potius addat. Nam, dum Ioseph cum uxore, & filio eius confabulatur, quid aliud quæso præstat, aut agit, quām orationi vacat? cum ille verē dicatur orare, qui debite cum Iesu, & Maria loquitur. Ex quo apertissime constat, confortium uxoris (quod aliis ad perfectionis culmen attingendum obesse solet) Iosephum ad perfectionis fatigium euexisse: nam (vt ait D. Bernardinus sermone de S. Ioseph) *Si nos miseri ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis nihil sunt, septuagenies perficiimus, quantum existimandum est, Iosephum cum sacra Virgine proscississe* quod si D. Bernardus sermone primo de Alii sumptione, virtutem loquela Virginis exaltans, dixit: *Cuius salutationis vox, & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt;* quod si parvuli, nec dum nati anima liquefacta est, ut Maria locuta est, quid putamus, quemam illa fuerit celestium exultatio, cum, & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præsentia meruerint: non secus, non potuit anima Iosephi non plenariae devotione liquefieri, dum cum Maria loquebatur; non potuit,

*Ibidem.*

*Psalm. 91.*

*Eccles. Catho.*

*D. Hierony.*

*3. Cor. 7.*

*Ibid.*

potuit, non mirificè perfici, & illustrari, cum vocem eius audiuīt, faciem vidit, & beata eius non solum præsentia, sed, & coniugali familiaritate, & amicitia frui meruit.

Hinc iam tertiam huius matrimonij excellentiam deducamus, quia, cum bona, quæ durante matrimonio coniuges lucrantur, sint virtusq; communia, quæ in iure, bona matrimonialia dici solent, nō potuit Ioseph ratione huius matrimonij dīcissimum omnium non esse, cum in acquirendis bonis spiritualibus nulla vñquam pura creatura, feliciorē negotiationē nacta fuerit, quā beatissima Virgo eius coniux, Spiritu sancto dicente: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, rufus pergressa es vniuersas.* vnde D.Bernardinus de laudibus Ioseph, dixit: *Cum omnia, quæ sunt vxoris, sint viri, credo, quod beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quæ Ioseph recipere poserat, ei liberalissima exhibebat.* Accedit ad hæc: si amor, & amicitia communia reddit bona, latino prouerbio dicente: *Amicorum omnia communia;* cū B. Virgo inter puras creaturas nullam maiore dilectione prosequetur, quam sponsum suum, conseqvens est, nihil non ei communicasse corū, quæ quoquo modo communicare licebat. Fuisse autem Mariae amorem ardētissimū erga Ioseph, ex eo aperte constat, quod non ignorabat id, quod postea docuit Paulus ad Ephes. 5. amorem inter coniuges debere esse instar amoris Christi erga Ecclesiam, vt, sicut Christus nihil carius habet, quām Ecclesiam, ita nihil carius sit viro, quā virorū, nec vxori, quām vir: cum ergo Maria, ut potè quæ perfectissima omnium cōiux fuit, hoc perfectissime obseruauerit, conseqvens est, plus, quām Martyres, Confessores, Virgines, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, ac celestes Angelorum hierarchias, Iosephum sponsum suum dilexisse, adeò, vt non solum vnitate vinculi connubialis, sed, & ardētissimi amoris vñione vñus spiritus, vñus cor, & vna anima esset cū eo, sicut enim carnalis copula efficit, vt coniuges sint duo in carne vna, ita, & vinculum matronij, & m̄tutus amor efficit, vt sint duo in spiritu vno.

Hinc velim, vt discant coniuges, mutuo se amore prosequi, hæc enim est voluntas Dei, reciprocus coniugum amor. Vnde inter alias rationes, ob quas voluit Deus educere Euam ex latere Adæ, ea potissima fuit, vt Adam, tanquam partem sui ipsius, vxorem diligenter, numquamq; illam odio haberet; vt enim ait Apostolus: *Nemo carnem suam odio habuit: Eua autem caro erat de carne Adæ, ipso id attestante, cūm dixit: Hoc nunc os de osib[us] Genef. 2. meis; & caro de carne mea.* Præcipiebat olim Deus, quod si contingeret ob æs alienum, cum non esset soluendo maritus in carcere detrulūs, vxor eius venundaretur; supponens sanè, ardētum adeò debere esse amorem vxoris erga maritum, vt non dubitaret, propriæ futuritatis prelio eius libertatem redimere. Eundem amorem supponunt Jurisconsulti, dum *Iurisconsulto* toto titulo de donat, inter vitum & vxorem, mutuas donationes inter ipsos prohibent, eamque rationem adhibent, ne mutuo amore se exsolvent, & Tiraquel.

*Tiraquel.* Ius in legem septimam connubialem refert ex Cicerone lib. 5. Tusc. questionum, & ex Socino rerum memorabilium cap. 65 necnon ex Eliano de varia historia lib. 7. inter lados adeò vigere amorem vxorum erga maritos, at si quis duas vxores habens obiret, continuò illæ iudicem adibant, varias probationes adhibētes, quibus vnaquaque monstrare contendebat, se ardētius, quām alteram, maritum dilexisse, & qua litem vincebat, hoc sibi præmium lege statutum erat, vt pariter cum marito sepeliretur; genus autem sepulturæ erat combustio. Ad hunc amorem significandum, consuevit apud omnes ferē nationes, vitum vxori annulum porrigit, quod licet multa, ac varia portent, nam (si Plinio creditus lib. 3. historiae naturalis dicenti), annuli vñsum originem ducere ex ferreto quodam annulo,

Rr quo

quo quidam, velut compedibus, alligatus erat) exhibito annuli clausuram obseruandam ab vxore significat: quod si aliud de annuli conditionem, perpendamus, qui iustus, & æqualis dixit postulat esse, ne alioquin ab eo facile decidat, id sanè non obscure indicat, matrimonium debere esse inter æquales; nam si inter disparés, facile soluitur amoris vinculum. Cum etiam annulis olim ad obsignandas epistolæ antiqui vtererunt, vt referunt Blondus, & Macrobius, probant que satis epistolæ, quas regio annulo cōsignatas scripsere lezabel, & Aman, vt sacra eloquia cōmemorant, & patet etiam ex l. ornamenta ff. de argento, & auro legato, certè ad hoc attendentes, dixerunt; annulum à marito vxori dari, vt fidelitatem ab ea seruandam commendaret; nam sigillum, fidelitatis symbolum est, cum adhibeatur, ne res falsitati subluit. Verum nostro proposito accommodatius, annuli exhibitor cordalem amorem vxoris ad maritum aperèt significat; maritus enim ad id denotandum, locat illum in eo dico, ex quo venula quædam ad cordis medullam ducuntur, vt Nothomici tradunt, & habent cap. foeminæ 30. q. 3. Sed quod super omnia manifestius unitatem amoris inter uxores mihi ob oculos proponit, illud sanè est, quod apud Iobum obseruavi; attentè enim persustas, quare, cum Deus liberam facultatem imperiret Diabolo, vt lobum, & omnia, que ad illum pertinerent, posset affliger, conterere, ac pœnitentia destruere, excepta tamen dumtaxat vita ipsius lobii, licet pecora interemisset, & filios occidisset, uxori tamen eius vitam non ademit eam huius facti ratione arbitratus sum, quod cum vxor, & maritus sint duo in carne una, & velut vita una in corpore dupli ci, eo ipso, quod Deus exceptit vitam lobii, intelligebatur etiam excepta vita vxoris: quod satis perspicue ostendit, quā magna unitas inter coniuges, quamque longè animorum diuisio ab eis absesse debet, vt non obscure etiā indicauit Christus Dominus; nam licet alioquin dicere: Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam; & nrum aduersus sacram fidem: minimè tamen adiecit, se venisse ad separandum uxorem à marito, innuens in hoc, amorem istorum inter se sibi placere, illorum verò fēpè sèpius odium sibi displicere. Hinc est, D. Paulum non semel monuisse viros, vt Coloss., uxores suas diligent, præcipue tamen ad Coloss. 3. ait: Viri, diligite uxores vestras, & nolite esse amari ad illas: in quibus verbis non solum postulat Apostolus, internum cordis amorem, dum ait: Diligite uxores vestras: sed, vt externis operibus illum exhibeant, omnem disloquentiam, & amaritudinem uxoris deuitantes: Nolite esse amari ad illas. Doctrinam hanc, tanquam naturali lumine notam, non ignorantes veteres illi Ethnici (vt referunt Plutarchus, & Eusebius) non permittebant lib. de p. Iunoni (quam nuptiarum Deam appellabant) animal vulum absque ablato felle Euseb. lib. 3 immolar, vt hoc symbole significaret, amari: udinam inter coniuges, longe ab eis esse relegandam.

Quartam huius matrimonij excellentiam contemplor in eo, quod ad ineffabile Incarnationis mysterium celebrandum, vnicum nostræ reparacionis remedium, mirum in modum deferuerit: sicut enim singulæ tres diuinæ Personæ, præter communem concursum sibi indiuisum, speciali ratione Incarnationis opus respexerunt; Pater enim misit Filius filius assumpsit naturam humanam, Spiritus sanctus formauit eam in utero Virginis; non dissimiliter in hoc secundo matrimonio adest sublimis quedam Trinitas (sic enim loquitur Cancellarius Parisiensis: Cuperem, ut mibi verba suspetarent, ad explicandum tam venerandam, ad mirandamque Trinitatem, Iesus, Maria, & Ioseph: IESVS filius Dei incarnatur, Maria Deum incarnatum concipit; Ioseph verò eius sponsus illum celat, & usque ad præfinitum tempus, sacratissimum hoc arcanum tegit. Quemadmodum enim

Blond. q. de  
Romatri-  
umph.  
Macrob. sep.  
natural.  
3. Reg. 21.  
Ester 3.

Tob. 2.

enim olim ante sancta sanctorum (vt legimus lib. Exodi) iussit Deus apponi velum ex iacyntho, purpura, coquoe bis tincto, & byssio retorta, opere plumariori, & pulchra varietate contexto, ita ante profundissimum illud Incarnationis mystrium, quod merito sanctum sanctorum vocamus, sacram hoc matrimonium, quasi velum, ex omnium virtutum varietate Spiritus sancti opere contextum, voluit collocari: itaque haec Trinitas personarum nostram redemptonem operata est, Iesus, vt auctor salutis; Maria, vt Mediatrix; Ioseph, vt coadiutor, vnde sicut cum bellum initur, victoria non solum tribuitur militibus, qui cum hostibus congressi sunt, sed etiam excubiis, & exploratibus, qui per abscondita itinera, claram milites, ac armis introduxere, ita licet redemptio generis humani, & victoria communis hostis illius, soli Christo, tanquam principali causa debeat adscribi, quia solus in Caluariae palestra cum hoste congressus est: *Torcular calcavi solus*: Mariæ etiam catenus debet attribui, quatenus contulit Christo carnem, & sanguinem, pretium nostrae redemptionis ei subministrans; Iosepho etiam eius sponso suo modo partim debet dari, quia fortissimum ipsum ducem Diaboli debellatorem, dum infans erat & puer, abscondit, & claram educavit, & enutriuit, vt sic grandior effectus, debito tempore fortè illum armatum, Principem tenebrarum, à suo loco deturbaret, & humanum genus à tyrannica eius seruitute liberaret. hinc licet *Illeias de mysterio Incarnationis loquens*, dixerit: *Quis adiunxit spiritum Domini? ausim dicere, Iosephum*, celando Christum Dominum, nutriendo, & educando, coadiutorem Dei extitisse in reparacione genesis humani per mysterium Incarnationis, vnicum nostræ salutis remedium, celebranda. Est etiam in hac Trinitate Iesus, Mariæ, & Iosephi obseruadum, quod quemadmodum de S.S. Triade Ioannes ait, in sua prima canon. cap. 5. *Tres sunt, qui testimoniam dant in celo, Pater, Verbum,*

*& Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt: ita tres in terra immensè Dei bonitatis testes sunt, omni exceptione maiores, Iesus, Maria, & Ioseph, qui vinculo charitatis unum etiam sunt, unum cor, & anima vna; & quemadmodum in illa cœlesti Trinitate, quarta non agnoscitur persona eis consubstantialis, ita nec in hac villa admittitur eis æqualis.*

His adiungo quintam excellēiam huius sacri cōnubij, quod nullum vñquam extitit, ex quo maiora obsequia Christo, & Virgini, humano generi potiora beneficia profluxerint, quam ex isto; propter illud enim genealogiæ Christi, & Virginis series nobis innotescit; propter illud B. Virgo grauida ab Hebraorum lapidatione liberatur; propter illud Iosephus solicitam curam gessit, ducenti Matrem, & filium in AEgyptum, vt Christus ab immatura, & crudeli impii Herodis occisione eriperetur; propter illud, fabrilis artis exercitio, & Iosephini sudore vultus, sacra illa familia alebatur; propter illud Diabolus fuit deceptus, & illufus; propter illud Virginitas Mariæ magis fuit confirmata, & stabilita; ac tandem propter illud, illustrissimum exemplum imitandum calcis cōiugibus reliquit, vt coniugalem vitam ducentes, Angelicæ castitatis exercitio fulgeant, vt his verbis testatus est Parisiensis Cancellarius serm. *Paris. Canc.* de nativitate Mariæ: *Cur pura, perfecta que Ioseph pudicitia non prædicetur, qui Virgo virginem adiit, atque seruauit, quique prius ex masculis in coniugij consortio coluit, & coli post se docuit sanctum, & integrum celibatum. Forum coniugum, qui Mariam, & Iosephum, quorum meliora charismata æmulantes, in Christi Ecclesia imitati sunt, non paucos Ecclesiastice historiæ produnt, & commemorant. In quorum numerum refero Henricū Imperatorem, *Henrie. II.* eius nominis II. qui, & claudus appellatur, eiusq; coniux, Chunegidus Augusta, *Chuneg. A-* iuuenes licet, & principes, cum genere, gustum virtute illustrissimi; quare, cum idē Henricus morti se proximum cerneret,*

Rr 2 Chunc-

Chunigundem vxorem, & propinquos eius acciuit, colique intuens: *O, recipie* (inquit) *quam mihi tradidisti Virginem vestram.* Præterea suum in coniugio cœlbatum purè conseruauunt Valerianus, & Cecilia, insigne par Romana nobilitatis. Julianus itidem Antiochenus & Basilissus, nō modo religionis, sed, & martyrij gloria per celebres. Eadem virginitatis laudem Eduardus Britannorum Rex, & vxor eius Editha, non obscurè sanctitatis coniuges, mirificè coluerunt. Tunc præter Amonem Aegyptum, Eduardus III. Anglorum Rex, sicut & Vandefillus Comes Palatinus, qui sub Dagoberto Rege floruit: ac deum Emexicus Pannonius, Stephani Regis filius, non immerito inde laudantur, quod illis tamen caro ob Christi amorem continentia fuerit, vt Veneris nefei, habuerint quidem, sed non attigerint vñquam vxores, vtpote, cum quibus veluti sororibus, pudicitia integratam (o Eunuchos Euangelicos) intemeraè seruarunt. His adiungit meretur Alphonsus Aragoniae Rex, casti cognomine honoratus, coniux & ipse nobilis, atque fidus vxori, sed qui ad se pertinere putauit. Apostolicum dictum:

I. Cor. 7.

*Bonum est homini mulierem non tangere; & qui habent vxorem, tanquam non habentes sint.* Neque dissimilis Theophanes fuit, qui, cum ad sponsam nocte nuptiarum ingressus esset, & animi puritatem omnium corporeæ voluptati anteponeret, tam pius, ac efficacem in thalamo, vel Doctorum, vel collocutorem se præbuit, vt sponsam continentia sua sociam & fecerit, & retinuerit semper. Eadem integritas in Eggerdo, & sanctissimæ Viduae Brigitte filia Catharina splenduit, coniugium illis tamen sanctè ineuntibus, vt perpetuam pudicitiam Christo piè oblatam, iuramento confirmavit, ac scorsum tota vita cubarint, quid porrò sanctus, & illustris Galliae Comes Elzearius: qui sub Carolo II. Ierusalem, Siciliæque Rege clarus est habitus, & cui æquè nobilis, ac pia Dalphina Virgo, sponsæ loco, conti-

git in rive Massiliensi? Non sit illis virtus est, Virginitatis virtutem in aliis suscipere, led, & ipsi admirando consilio duci, quoniam casti ad coniugium accesserant, sua virginitatis florem nulli, praeterquam Iesu Nazareno, offerre, consecrare, seruareque voluerunt: itaq; sacram ædem adiere, iuas Deo preces effundere, & post sanctissimum Christi corpus reueenter acceptum, flexis genibus, iunctis manibus, erexitisque ad cœlum animis virginitatem suā Deo deuouerunt. Eiusdem generis plures alios silentio prætermitto, quos tradū D. Hieronymus, Au-  
gustinus, Paulinus, atque Palladius, quo D. Angelum castissima matrimonia, ac thori im-  
maculati fructus fuerunt partus, ac legi Regini.  
Paulini, in epistola ad Corinthus, 3. ad  
Vnde sextam huius matrimoniij excellentiā elicio, quod in eo nō solum vir-  
ginitas splendeat, sed & fœcunditas libe-  
rorum variis modis effulget; cum, & hūi, La-  
Christum pepererit, & quotquot matrimoniij vinculo copulatos, sacros hos spō-  
fos, Mariam & Iosephum imitantes, per-  
petuæ virginitatis custodes fuerunt. Atq;  
hinc est, Patres miram huius matrimoniij  
excellentiam contemplantes, præclara-  
multa in eis laudem dixisse. Augustinus D. Aug.  
enim lib. i. de nuptiis, & concupiscentia,  
ait: *Omne nuptiarum bonum impletum est in  
illis parentibus Christi, proles, fides, sacra-  
mentum, prolem cognoscimus, ipsum Domi-  
num Iesum; fidem, quia nullum adulterium;  
sacramentum, quia nullum diuorium: pro-  
blem, dicit Christum, quia, quamvis Iose-  
phi filius non fuerit, tamen Virginis, que  
coniux illius erat, legitimus filius fuit; ob  
quam rationem non solum à plebe, sed  
& ab ipsa Virgine filius Ioseph vocabatur;  
vt non obscurè indicant verba illa:  
pater tuus, & ego, dolentes, quærebamus te. Lact.*  
Ait deinde in eo matrimonio inueniti fi-  
dem, quia Maria, & Ioseph ad inuicem  
illam inuolatam seruarunt, perpetuam  
virginitatem obseruantes. tandem addit;  
in hoc matrimonio inueniri Sacra-  
mentum, quia nullum diuorium: nam indiuiso,  
& vñtas

p. 5.  
Rerum.

Rerum.

Carm. Breu.

& vñitas vinculi connubialis, quo Maria, & Ioseph verè erant copulati, vñionem Christi cum Ecclesia significabat, quod capropter merito Augustinus sacramentum vocavit, Apostolo dicente: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Rupertus item super cap. i. Matth. egregie dixit: *Coniugium celeste, non terrenum, unus spiritus, & una fides erat in eis, sola illuc carnis corruptio definiuit, &c.* Congruit sane potiori iure huic matrimonio, quod de suorum parentum coniugio, Nazianzenus oratione decimanona dixit: *Sic existimo, si quis ab ultimiis terrarum finibus, atque ex vniuerso hominum genere, prestantissimum coniugium conciliare studuisse, nullum vñquam hoc præstantius, aptiusque reperiri posuisse.* hæc ille, quibus demum addo tria illa verba, quæ in officio sancti Iosephi iuxta pristinum Carmelitarum Breuiarium in Antiphona ad Magnificat, habentur: *Felix matrimonium, fide sacrum, nec prole vacuum, sed flore retento vice Pater, Virgo parentum cum honore virginali, pura sibi coniugali mutuo subseruant, & dudum enutriunt pari voto filium, quorum ministerio latens in mysterio deceptionis inimicum, verum decus, & antiquum perfecit consilium: consilium, inquam, sanctissimæ Trinitatis, cui sit honor, & gloria in sæcula seculorum. Amen.*

## HOMILIA VI.

Commemorantur variae cause ex præcorum Patrum doctrina, & alijs à nobis ex cogitatione, ob quas decuit B. Virginem matrimonium contrahere, & Iosepho in coniugem dari.

**P**ROPOSITVM argumentum, ut solita nostra perspicuitate, cuivadde semper cōsulimus, edisseramus, plaucauit omnes causas, ob quas beatam Virginem in matrimonium duci oportuit, ad quatuor præ-

cipue capita reuocare: quædam enim teneant se ex parte Virginis, quædam ex parte Christi, aliae ex parte nostra, nonnullæ etiam ex parte communis hostis generis humani. D. Ambrosius hanc reddit ex *D. Ambro.* parte Virginis causam, vt honori eius cōsideretur. Si enim cum nuptia filium habueret, certe Hebrei Virginem stupraram esse non iudicarent; verba Ambrosij hæc sunt: *Desponsata fuit Virgo, ne temerare virginitatem aduferetur infamia, cuius grauis alius corruptela videbatur insigne preferre.*

Sciebat Dominus teneram esse Virginem reverendiam, & lubricam famam pudoris; seruatur itaque sancta Maria, sicut pudore integra, ita inviolabilis opinione Virginitas, oportet enim sanctos ex aliis bonum testimonium habere, qui foris sunt. Nec decuit sinistra Virginibus opinione viuenibus velamen excusationis relinqui, quod infamata Mater quoque Domini videbatur: hæc Ambrosius, qui *D. Ambro.* eodem libro, inquit: *Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de matris pudore dubitare; sciebat enim teneram esse Virginem reverendiam, & lubricam famam pudoris; nec putauit ortus sui fidem matris iniurijs astrensam.* Ferunt Historiographi, quod cum Alexander Magnus ad matrem suam Olimpiam scribens in epistola subscriptione hæc verba apposuisset: *Alexander, Dei Louis filius:* illa cum increpauit, quod, ut se filium Louis predicaret, matrem suā adulteram faceret, grauique infamia nota illam afficeret. longè sanè aliud fuit ingenium Christi Domini quam Alexandri, cum ille, vt se honestaret, matrem suam dehonestabat; Christus verò, ne Virginis martris suæ honor minima dignitatetur infamia, maluit filium cuiusdam fabri reputari, quam bonam Virginis famam quidquam documenti recipere. D. Hieronymus super cap. i. Matth. *D. Hierony.* aliam ex parte Virginis scriptis rationem: *Ne tanquam adultera à Iudea lapidaretur: eandem tradit Eusebius emissarius his Euseb. Emis. verbis: Si virum non habuisset, & grauida homil. in vivideretur, nulla ei excusatio subvenire posset, gil. nat. Dei quasi adultera non lapidaretur; quis enim min.*

Rr 3 ei cre-